



de Gudenesberch. 35) Gerbardo. 36) Diethmaro de Rosla. 37) Christiano et Adelbero. 38) Christiano. et vnargo. 39) De familia 40) autem Wolverico. Rudegero. Rechero. Cunrado. Sigeboldo. Adelberto. Adelberone. Huic vero priuilegio. quo maior et ualidior inesset auctoritas. Sigilli nostri ratam impressimus. anno dominicę incarnationis. M. C. XVIII. Indictione. X. i i j. 41)

(L. S. 42)
oblitterati.

DIPLO-

- 35) Nobiles *de Gudensberg* fuere ex Dynastarum numero, saepius enim Comitum elogio mactantur. de Guden. Cod. dipl. Vol. I. p. 427. Eorum Dynastia fuit hodierna Praefectura Hasso-Cassellana *Goedisberg* s. *Goedersberg* et *Gudenberg*. Bruzen la Martiniere Lexic. Geograph. edit. Germ. T. V. col. 593.
- 36) de hoc non habeo, quod dicam.
- 37) *Rosla*, hod. *Rossla*, olim fuit perantiquum castrum nobilium, hodie est Praefectura Saxo-Vinariensis.
- 38) et de his mihi quidem nil constat.
- 39) *Vnargus* s. *Anargus* est nomen familiare Dominorum *de Wildenfels*, unde inferimus, Christianum et Vnargum fuisse ex hac familia. Vid. Kreyfig. Collatt. Hist. Sax. Part. VI. p. 152.
- 40) Familia his temporibus denotat homines seruilis conditionis, qui vel glebae adscripti agros colebant, vel officiis oeconomicis aliisque minus honorificis fungebantur, du Fresne l. c. voc: *Familia*. Hinc non est, quod in Wolverici, Rudegeri &c. dignitates inquiramus.
- 41) Deest locus, Notarius, nec vlla Regni s. Imperii Henrici V. fit commemoratio, de quibus in Obseruat. I. agemus.
- 42) Sigillum hoc tam male conseruatum est, vt superiori malthae parte, quae nimir. inscriptiones repraesentabat, vna cum limbo plane auulsa, non nisi inferior eius pars, quae scil. pergameno proxime adhaeret, adhuc supersit. Hoc, quod restat, mediantibus filis, altero serico, pergameno altero, in crucis formam sese transuerse excipientibus, quorum extremitates ipsi malthae intextae sunt, documento ad latus dextrum inhaeret proditque, sigillum fuisse rotundum ejusque diametrum quatuor et quod excedit digitos absoluisse. Quae omnia nos inducunt, vt hoc sigillum ei, quo diploma statim sequens adhuc superbit, simillimum fuisse credamus.